

PSALMI XV. DISPOSITIO.

Civis cœlestis. Integer ore, corde.

Continetur hic verorum DEI cultum descriptio, ita quidem, ut ipse DEUS impleretur, tanquam doctor optimus, cujus proprium mox subjungatur responsum.

I. *Interrogatio est vers. 1.* (a) interrogatus, ipsemet Jehova, qui per *Spiritum suum* respondit prophetis: (b) res interrogata est, *incola tabernaculi divini montisq; sancti genuinus atque constans.* ibid.

II. *Responsio* describens ipsum, meminit (a) generatim *ambulationis integræ vers. 2.*

A (b) *operationis justæ*, ibid. (c) *speciatim lingue veridicæ*: ibid. *delationem detestantis*: v. 3. (d) *charitatis erga prooximum debitæ*, qua *neminem offendit, nec ignominiam afficit*: vers. 3. (e) *judicii incorrupti*, quò *reprobum* (utut coram mundo florentem) *despicit, piun vero honorat*: vers. 4. (f) *observantiæ juramenti religiosæ*: ibid. (g) *detestationis lucri iniqui, tum ex usurâ, tum dorophagia*: vers. 5.

III. *Epilogus* concludens, in æternum nunquam commovendum de beatitate semel impetratâ, qui facit talia. vers. 5.

PSALMUS XV.

EXPLICATIO VERSUS I.

(מזמר) Vide Psal. III, 1. Non inconcinnè Psalmus hic subjicitur priori, qui communem totius humani generis corruptionem exprimebat. In hoc enim selecti ecclesiæ cives describuntur egregiè, quos ad sui cultum Sanctissimus hominum Conditor sibi destinavit.

(יהוה) Deum interrogat; ut responsum ejus sit omni exceptione majus. Jun.

(מי יגור) *quis commorabitur*: h. e. quamnam sunt requisita inquilini tui? vel quomodo aliquis vitam actionesque suas ita disponet, ut dignè coram facie tuâ ambulare, inque tuo templo vel sacris constanter atque ad tuum beneplacitum perseverare queat? Sic enim Chald. pulchrè exprimit: *מי יגור* quis dignus vel probatus ad *permanendum* &c. *Lek. wer ist würdig zu wohnen?* *גור* commorari ad modum *גור* peregrinantis; ut *Gen. XII, 10. XIX, 9. XXXV, 27.* (Abraham in Mam.) *Psal. CV, 23. Lev. XIX, 33. יגור אתך גור.* Quandoque simpliciter est *commorari*, ut lupus cum agno *Jes. XI, 6.* Priori modò sumit *Junius*, accommodans ad ecclesiam militantem in tertis, ubi peregrinamur & in viâ sumus, sicuti sequens *ישכון* refert ad ecclesiam triumphantem, quæ jam est in patriâ. Lucem capit hic textus ex *Psal. V, 5.* non commorabitur tecum malus: h. e. non potes ejus præsentiam vel familiarem conversationem tolerare, multo minùs alere vel defendere. Interrogatio & subsequens responsio æquipollent enunciato connexivo, ita ut interrogatio sit locò antecedentis, responsio locò consequentis h. m. ille commorabitur, &c. qui ambulat &c. Adhibetur autem interrogatio majoris excitationis causâ: similia exempla *Psal. XXV, 12. 13. Pf. XXXIV, 13. 14.*

(באחלך) *in tabernaculo tuo*: h. e. in loco sancto, ubi Dei cultus tempore Davidis celebrabatur, nimirum in tentorio Mosaico, vel ad arcam fœderis, templò nondum extructo; *Exod. XXXV, seq.* Videri poterat, hæc ipsa sacerdotes ac Levitas spectare, tanquam ministerio ecclesiastico t. t. consecratos. Verùm generatim Cultores Dei genuinos quosque describi, docet compages tota.

(ישכון) *habitabit*: h. e. in æternum permanebit apud te in cœlis.

(ברך קדשך) *in monte sanctitatis tue*: h. e. in monte tuo sancto; posterius enim substantivum

ponitur loco adjectivi, ut *Psal. XI, 4.* templum sanctitatis. Intelligitur autem vel mons Sion, ubi tempore Davidis arca morabatur; vel mons Moria, à Davide ad templum destinatus. Uterq; verò est typus immobilis futuræ gloriæ in cœlis; sicut enim mons 1. supra terram eminet, 2. est immobilis, 3. Deum habebat peculiariter præsentem, 4. difficilis est conscensu: &c. ita & cœlestis illa vita altera. Sic Ecclesia alibi vocatur mons sanctus, *Psal. LXVIII, 16. 17.* (in hoc monte complacuit Deo) *Jes. LVI, 7.* abducam in montem sanctum. confer de cœlesti Jerusalem, deque monte sancto, *Ebr. IX, 11. seqq. XII, 12. Apoc. XIV, & XXI.* Ita de cœlo exponunt præsentem quoque textum *Dav. Kimchi & Obad. Gaon.* item *Campan. quis habitabit tecum in celo veluti monte, in quo sacrosancta majestas tua peculiari quodam modò apparet.*

EXPLICATIO VERSUS II.

(הולך) *ambulans*: h. e. vitam totam componens, quæ sapissimè *via*, ad certum terminum quotidie tendenti, motumque continuum includenti, passim comparatur; vide *Psal. I, 1.*

(תמים) *perfectus*: h. e. qui est animò sincerò, omni dolo vel hypocrisi carens in colendò Deò & amandò proximò: videturque hæc phrasis sumta ex *Gen. XVII, 1.* *תהלה* *ambula coram me* & *est* *תמים* *perfectus.* Nomen hoc notat *perfectum* quid, vel in prædicamento quantitatis, quod omnibus partibus suis conitat, v. g. annus *תמים*, *Lev. XXV, 30.* dies integer, *Jos. X, 13.* vel in prædicamento qualitatis, i. e. maculâ, vel deformitate carens, quomodo de hostiis Deo offerendis accipitur in *Levit.* hinc inde. Atque sic etiam de piis reperitur, tum quatenus ipsi carent omni prorsus peccati labe, per Christi sanguinem fide apprehensum perfectè mundati, tum quatenus anxie ac sincerè student perfectioni, omnesque conscientia maculas vitant sollicitè: ut *Psal. XXVII, 18. Prov. II, 21. XXVIII, 10.* &c. Ei opponitur homo *בלב ובלב* *gemini cordis*, h. e. hypocrita dolosus, *Psal. XII, 3.* *Aben Esra*: *תמים* est nomen adjectivum, ubi deest *המתיאר* *denominatum* sive substantivum, pro *תמים* *in viâ integrâ*, qui scilicet in negotiis sermonibusque suis sincerè se gerit: quæ ipsa locuti plena occurrunt *Psal. CI, 6.* *ambulans in viâ integrâ ministrabit mibi.* Si tamen *תמים* accipiatur substantivè, coincident hæc cum illo *Psal. LXXXIV, 12.*

non